

§. III.

Mutatae viciatæque discipline.

Principio hoc vos sedulo notare velim, (quod nostra de ratione studii Theologici dissertatione subindicauimus) idem prope Theologiæ euenisse, quod omnibus aliis disciplinis solet euenire, ut, cum a prima origine recedunt, prout sunt hominum ingenia, a quibus tractantur, ita varie mutentur, interpolentur, corruptantur: ferre sicut riuali, qui aqua pura & limpida primum scatent, solidem, quod transcurrunt, colore, frigore, odore, cæterisque qualitatibus imbuntur.

§. IV.

Mutata peruersaque philosophia.

Hoc sane, ne alia commemorem, Philosophiæ Aristoteleæ fatum fuisse, mirabor, si quis sit, qui negare sustineat: nam, qui Aristotelis *Διαδοχὴν* continuarunt, Theophrastus & Strato eam Philosophiæ Peripateticæ ideam animo effinxerant, quæ, quantum quidem ex sparsis hic illic illorum authorum fragmentis extimare licet, ab ea multum recedit, quam Themistius, Simplicius, Alexander &c. in suis scriptis adumbrarunt. His successerunt scholastici, ita enim appellantur, qui nouam & ipsi Philosophiæ Peripateticæ rationem inuenerunt, quam feliciter, dicere hic nihil attinet, neque id nostrum institutum postulat, a prioribus certe duabus tota via abhorrentem: & vna tamen est philosophia Aristotelis, ut hos aut illos a recto tramite necesse sit aberrasse.

Quod